



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniae, 1622**

Vocatur in inuidiam. 91

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44900**

multorum odijs appetitus, vehementer iactabatur: cuius tempestatis initia hæc fuere. 90 Spectabatur per idem tēpus adolescentes aliqui nobiles, & ingenuis opibus clari: quos exemplum IGNATIUM ad res mortales abdicandas exciuerat. Hi ausi simul fortunas suas in egenos spargere: simul egere ipsi, ac necessaria cum mendicis petere: præterea lautitij publicæ Xenodochia, vbi degerent, præferre. Quod illorum factum, vt in spectaculum traxit pleramque ciuitatem: ita parentibus amicisque haud magnopere probabatur. 91 Nec nesciebāt, IGNATIVUM mouisse. Ea propter illum aggrediuntur, ac velut in mali auctorem, concepta quilibet odia euomunt, falsisque illum commentis criminatur. Nominatim veró adolescens Hispani nominis, qui hoc item consi-

lio vsus, valere humana iusserat, animos quorundam vehementius perturbabat. Præter quem, & alij paulatim ad optimos mores, & crebram quâ SACRAMENTORVM, quâ precum consuetudinem ab IGNATIO erudiebantur. Harum rerum impatientes ij, quos dixi, conspirant. Parisiis S. Barbaræ Collegium est: ibi faba cudebatur. Supplicium quippe est acre, & vel extremis Scholasticorum facinoribus inuentum: quo, obseratis Collegij foribus, ad æris Campani motum, discipuli glomeratim oēs accurrunt; stant Magistri, & singulis virgarum fascibus infensi minantur; inque vnam gymnasij turbellam seuerissimè omnes animaduertunt. Facies loci formidolosa, & ad sanciendo mores puniendosque peropportuna. Cōuenerat igitur hac supplicij infamia

IGNA-